



OMNE PHILOSOPHICUM EST ΕΥ'ΣΕΒΕ'Σ.

QValis in AEgypto, ſeptena per oſtia Nilus,
Non varias vario flumine mittit aquas;
Vt neque diverſis contendas fontibus ortas,
Quanquam diverſo videris ire modo:
Nec tamen ex vno ſic ortas fonte putaris,
Viribus vt careant illa vel illa ſuis:
Talis ab æterna veniens ſapientia mente,
Per varias homines ducit ad aſtra vias.
Vt tua, Nile pater, diverſo flumina curſu
Oceani repetunt, vnde fuere; ſinus.
Scilicet hic finis, conceſſaq; meta laborum,
Hic pius, humanis artibus, vſus erit.
Nonne vides, Dorides celeberrima turba, ſorores,
Vt referat patrem quælibet ore ſuum?
Nympha refert patrẽ, referũt pia numina, numen;
Cur ego non Muſas numina magna putem?
Ipſe ſuas docuit quas magnus Iuppiter artes,
Cur ego non veras ſuſpicer eſſe deas?
At quas non docuit, quæ proſunt, Iuppiter artes?
I nunc, & falſum crede, quod ille docet.
Vna tamen reliquas divina ſcientia vincit,
Effigiem patris dixeris eſſe ſui.
A patre jura tenet, dat jura ſororibus ipſa,
Sola boni novit ſemina, ſola mali.
Et quiſquam præcepta, tuis contraria dictis,
Aut amet, aut odio digna putare neget?
En ego confiteor, te ſolam diva tenebo,
Tu mihi propoſiti norma futura mei.
Quæ tibi non placeãt, poterũt mihi nulla placere,
Quæ tua ſunt, quoniam ſunt tua, vera puto.



SVBLATO INANI TOLLITVR MOTVS.

ERgone permiſtum dubitabis rebus inane,
Quod mendax vllum ſenſus ineſſe neget?
Ille nec humano concluſam corpore mentem,
Nec magnum cæli ſentit in arce Deum.
Stare ratem clamat, pulſamq; recedere terram,
Errat, & ex vno corpora bina facit.
Nempè vides motum, ratio latet abdita motus,
Prima docet ſenſus, cætera mentis erunt.
Illa quidem vacuos penetrans ſecreta receſſus,
Omnibus admiſtum rebus inane videt.
Ni foret, excluſo torperent omnia motu,
Officium facerent aura, nec vnde ſuum.
Ipſe, decus cœli, qui terras lumine luſtrat,
Dimidio tantum notus in orbe foret.
Et ſoror exigeret cæcos ingloria menſes,
Nec faceret noctes illa, nec ille dies.
Mars pater æterno veneris langueret amore,
Si premeret fixos orbis vtrumq; ſuus.
Ipſa parens etiam, quæ nunc parit omnia, tellus,
In rebus vacuum ni foret, orba foret.
Heu! fruſtra peteret fœcundos ætheris imbres,
Fruſtra conciperet non parienda ſibi.
Sed neq; conciperet, neq; poſſent æthere mitti,
Si fieret vacuo nullus in orbe locus.
Sponte ſua, credo, fugiunt, & neſcia pelli
Corporibus cedunt, corpora prima, novis.
Finge tamen pelli: quo tandem pulſa recedent?
Cum nequeant vno plura coire loco.
Elige quid fingas, aut miſtum rebus inane,
Aut illas motu poſſe carere puta.